


05

A

606





I
I
2



I. N. 7.

DISPUTATIO THEOLOGICA

45.

De

BONIS OPERIBUS

Quam

NUMINE SUMMO AUXILIANTE,

P R Æ S I D E

V I R O

Maximè Reverendo, Amplissimo atq;

Excellentissimo

DN. JOHANNES *Deutschmann* /

S. S. Theolog. D. Ejusd. Facult. P. P. Longe ce-

leberrimo, Alumnorum Electoralium Ephoro gravissi-

mo, Domino Patrono, Præceptore atq; Hospite

suo ætatem devenerando,

Publicè defendit

R E S P O N D E N S

SAMUEL *Weinholz* /

Stargard. Pomeran.

In Auditorio Majori hor. pomeridian.

Die 13. Septembr.

VVITTEBERGÆ,

In Officinâ FINCELIANA exscribebat MICHAEL METER,

Anno c1o 1o c LXVIII.



QVÆSTIONES ANTIPAPISTICÆ

De

BONIS OPERIBUS.

EX ARTIC. VI. & XX. AUG. CONFESSIONIS.

An recte dicat Augustana Confessio: Falso accusantur nostri, quod Bona opera prohibeant Art. XX.?

Aff.

DISP. IIX.
Resp. SA-
MUEL
WEIN-
HOLTZ,
Stargardia
Pomera-
nus.

1. **H**anc Quæstionem controversam potissimum *Bellarmin. t. 4. lib. 4. c. 1.* volumus oppositâ, qui reprehendit illa verba *Confessionis*, inquit: *Primum Confessio ipsa August. art. 20. falso dicit accusari suos, quod bona opera negligant, vel prohibeant. Philippus quoque in locis, Brentius in Catechismo, Chemnit. in Exam. sess. 6. Concil. prope finem, Calvin. l. 3. instit. c. 16. & ipse etiam Lutherus in lib. de Visit. Saxon. docent, opera bona, esse faciendâ, & aliquo modo indicant esse necessaria, cum affirmant, veram fidem non esse, quæ non parit opera bona, & quæ charitatem comitem non habet.*

2. Præterea notum est, quod inde primum ab initio reformationis, Pontificii Lutheranos vel neglectus, vel contemptus, vel etiam prohibitionis bonorum operum accusaverint, & sic ἐγκλήματι primo, nostratibus impietatis, secundo Epicureæ pravitatis, tertio Diabolica perversitatis notâ inurere voluerint, cû impiû sit, Opera bona negligere, Epicureum, eadem fastuosè contemnere, Diabolicum verò, prorsus illa prohibere. Neq; tamen de nostris talia spargere, Pontificii ullatenus erubuerunt. *Cælestin tom. 3. Hist. A. C. præfat. scribit: Persuaserant multis principibus Monachi & Pontificii Assentatores, nullo unquam tempore pestilentiore hæresin excogitatam esse, & sparsam doctrina Lutheri: eaq; hominum mentes ita corrumpi & infici, & nisi illa opprimeretur, & igni atq; ferro exterminaretur, maxima pars hominum in Germania viventium de salute sua periclitatura esset.* Fuit, inquit ipse B. Luth. præfat. in Art. Smalcald. *Witeberga Doctor quidam (nim, D. Gervasius) ex Galliis missus, qui no-*

P

bis

114 *bis palam indicabat, Regi suo certo certius persuasum esse, apud nos nullam esse Ecclesiam, nullum Magistratum, nullum conjugium, sed promiscuè omnes peccudum more vivere pro arbitrio.*

3. Ut autem propius ad verba *Confessionis* respiciamus, in *Confut. sua*, nomine *Cæsaris* edita, *Papista* nihil in his verbis coram reprehendere potuerunt, quia disertis verbis scribunt: *In articulo XX. qui non tam continet Confessionem Principum & civitatum, quam excusationem Concionatorum, UNUM duntaxat est, quod ad Principes & Civitates pertinet, scil. de Bonis Operibus, quod non mereantur remissionem peccatorum: sed alii tamen in hac accusatione pertinaciter substiterunt. Nam Johannes Cochleus ad hæc verba Confessionis, Falso accusantur nostri &c: subjungit: Itane falso? Annon prohibet peccata? prohibent, & recte quidem. At docent justum in omni bono opere peccare, & omne opus bonum, etiam optime factum, esse peccatum Veniale. Veniale, inquiunt, non natura sua, sed misericordia DEI. Cæterum omne opus justii revera esse damnabile, & peccatum mortale, si Dei judicio judicetur. Annon est hoc, PROHIBERE BONA OPERA? &c: Hager. in Collat. Aug. Conf. p. 222. & negligentiam, & prohibitionem de nostris quoad B. O. probare conatur: Negligentiam, quia si ad salutem sola fides sufficit, si bona opera nihil merentur, duo magna incitamenta ad facienda B. O. negliguntur: Prohibitionem, quia Confessionistæ prohibent peccata; B. opera verò ex ipsorum judicio sunt peccata, sua natura mortalia, Dei solum misericordia venialia: igitur prohibent Bona opera. Confer. Judicium Andrea Fabric, in harm. A C. p. 302. seqq.*

4. Nos, ut antea diximus, potissimum hic *antithesin Bellarmini* respicimus, adeoq; circa statum controversiæ prius unum, vel alterum præmittimus (1) quod inter *Nos & Papistas* controversia non sit de *nudis verbis*, sed de *rebus ipsis atq; dogmatibus*. Male proinde *Bellarmin. l. d. §. Cæterum*, censet, hanc doctrinam, quatenus in Ecclesia nostra sonat, & Bonorum operum studium postulat, & necessitatē ipsorum explicat, tantum *in modis loquendi* consistere.

5. (2) Deinde non quæritur, quid hic, vel iste, qui *nominatenus se Lutheranum* profiteatur, privatim sentiat; sed quid secundum *libros Symbolicos, doctrinam publicam*, & si *verus Lutheranus* esse velit

velit, sentire, debeat? Nihil igitur ad nos illa, quando *Bellarminus* 115
§. 1. scribit: *Multi ipsorum, aliud loquuntur, aliud sentiunt.* Nam sicut
historia tradit, quod *Antinomi* sub *Lutheranorum* nomine latere
conati sint, qui statuerunt inter alia, quæcunq; tandem sit hominis
vita, quantumvis impura, justificari tamen eum, si modo
promissionibus Evangelii credat, quemadmodum ipsorum erro-
rem *Sleidan. l. 9.* recitat: ita falsissimum est, *Lutheranos* genuinos
quoad sensum in doctrina sua publica, bonorum operum studi-
um vel negligere, vel contemnere, vel prohibere: contrarium omnes
libelli Symbolici loquuntur, ut ex ipsorum diligenti lectione pate-
bit. Dist. igitur inter *Lutheranos* genuinos, & adulterinos, sive l. rei-
psa, & tantum specie, vel nomine tales.

6. (3) *Distinctæ* quæstiones sunt, quando quæritur, de *Bono-
rum Operum* necessitate sine respectu, & de *B. O.* necessitate cum respe-
ctu ad salutem, quemadmodum *Form. Concord. artic. 4. de Bonis O-
peribus*, & in *Epitom. Controv. & in solid. Declar.* solide demon-
stravit. Has autem quæstiones *Bellarminus* sophisticè confundit scri-
bens §. 1. *Non desunt, qui clament, Lutheranis injuriam fieri cum di-
cuntur opera bona, tanquam non necessaria ad salutem contemnere:*
verum aliud est, bona opera contemnere, aliud, eadem ad salutem non
necessaria statuere: ex hoc ultimo prius non elicitur. Multa nihil
ad salutem faciunt, nec ad eandem vel acqvirendam, vel possi-
dendam necessaria sunt, quæ tamen propterea contemnenda non
veniunt.

7. (4) Aliud est, ex principiis veris aliquid Logicè deducere,
aliud ex principiis malè vel expositis, vel applicatis, aliquid sophisticè
colligere: prius non observant *Papistæ*, sed posterius, quando σοφισ-
τικῶς ex nostris principiis, vel hypothefibus, contra verborum sen-
sum, autorum mentem, doctrinae publicæ statum, principiorum illorum
respectum & usum directum &c: Bonorum operum neglectum, vel
contemptum, extorquere contendunt, sicut scribit *Bellarmin. d. l. §. Cæ-
terum: Quicquid sit de modis ipsorum loquendi, cum excutiuntur i-
psorum principia, & pleræq; dicta & scripta Lutheri, videntur omnino
existimare, posse hominem salvari, etiam si nulla bona opera faciat, nec
mandata divina custodiat. Quæ certo respectu vera sunt, & sacris li-
teris consentanea, quando videlicet de justificationis causis est ser-*

no; certo respectu falsa sunt, quando de justificarum effectis intelliguntur.

8. His præsuppositis, omninò negamus, quod Ecclesiæ nostræ jure possint accusari, quod *Opera bona vel negligant, vel contemnunt, vel probibeant.* Bellarminus ne frustra tale quid nostris imputasse videatur, suo more sophisticas aliquas probationes subjicere conatur. Probat igitur *antithesin* suam contra *Lutheranos* (1) *Ex verbis disertis prophetæ ipsorum Lutheri*, quæ de causa varia dicta B. Lutheri citat, nim. (1) quod affirmet, *mala opera, credenti nihil nocere.* Sic enim loquitur in lib. de Libert. Christiana: *Bona opera non faciunt virum bonum, nec malum mala.* Verum Resp. (1) B. Lutherum simpliciter prophetam esse, non asserimus, certo quodam sensu concedimus, ideo titulum Ironicum, quo Lutherum Bellarminus pungere gestit, non magni facimus: *Lutherus* vel volente, vel nolente Bellarm. magnus Ecclesiæ Doctor manebit, quem admodum *Wolfgangus Severus*, Imperatoris Informator, de *Luthero* cecinit:

Japeti de gente prior, majorq; Luthero

Nemo fuit, sed nec credo futurus erit.

(2) quod aliter cum scriptura intra justificationis articulum, aliter extra justificationis negotium, de Bonis operibus sentiendum esse, B. Lutherus statuerit, ut in Comment. ad Gal. 4. scribit: *Extra locum justificationis debemus cū Paulo reverenter sentire de lege, & eam summis laudibus evehere, appellare sanctam, justam, bonam, spiritualem, divinam &c: alia verò ratio est in loco justificationis.* (3) Hinc *vir bonus* dupliciter consideratur, vel *coram Deo*, vel *coram mundo*: *Bona opera coram mundo* quidem *virum bonum* faciunt, sed non *coram Deo*, quia sola Christi obedientia perfecta *coram Deo* valet: sic & *mala opera*, quæ talia, *coram mundo* faciunt *malum*; *coram Deo* quoq;, quæ talia sunt, *malum* hominem reddunt, sed quatenus *fides in Christum*, & *obediencia perfecta Christi* nostra mala opera tegit, nihil condemnationis in iis, qui sunt in Christo Jesu, reperitur *Rom. II. 13.* Disting. igitur inter *virum bonum Theologicè & Politicè* talem, in *judicio Dei & mundi* valentem: *politicè* *coram judicio mundi* *vir bonus* *virtute*, vel *opere* talis est, sed nostra virtus in *judicio Dei* non consistit, quia omnis nostra justitia instar panni menstrua-

menstruatæ *Esa. LXIV. 6.* adeoq; fide vir bonus in Christo coram 117
judicio Dei requiritur, quia *sine fide impossibile est, Deo placere Heb. XI. 6.*

9. (2) *Bell.* urget illud *B. Luth. ex eod. libr. Ut infideli nullum bonum opus prodest ad salutem & justitiam : sic è diverso nullum malum opus facit malum & damnatum, sed sola incredulitas.* Resp. (1) Hæc est Christi thesis immota : *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur Marc. XVI. 16.* quem rectissime *B. Lutherus* sequitur, quicquid etiam *Papista* contra moliantur. Et hæc eadem *B. Lutheri* sententia clarissime passim in verbo Dei confirmatur, unicum saltem adhuc adducimus ex *Job. III. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut OMNIS, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam v. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut, judicet mundum (i. e. infideles homines) sed ut salvetur mundus per ipsum. v. 18. Qui CREDIT in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti Filii Dei.* (2) *Mala opera* considerantur vel *formaliter*, quatenus mala sunt & manent, & sine penitentia reum faciunt hominem, sic omnino damnant, juxta *B. Lutheri* sententiam : vel *materialiter*, quatenus mala fuerunt, & in se talia sunt, sed per veram penitentiam abjiciuntur, Christi justitia teguntur, & fide remissionem gratuitam consequuntur, quo certè respectu, propter interveniens Christi meritum, non amplius malum, vel damnatum hominem efficere possunt, sed propter satisfactionem præstitam reatum amittere, hominemq; dimittere coguntur. (3) Quod nullum bonum opus coram Deo prodest ad salutem & justitiam, cum primis infidelibus, patet ex eo, quia quicquid non est ex fide, peccatum est *Rom. XIV. ult.* & quia *sine fide nemo Deo placere, multo minus coram Deo justitiam consequi potest Heb. XI. 6.*

10. (3) Objicit nobis dictum *Lutheri in sermone, Sic Deus dilexit mundum : ubi fides est, nullum peccatum nocere potest.* Resp. (1) ipse Spiritus S, testatur, quod fides victoria sit, quia mundum, Diabolum, peccatum, ejusq; supplicium omne vincit, *1. Johann. V. 4.* idem ergo rectè dixit *B. Lutherus* (2.) Fides vel intelligitur sensu *Papistico* pro assensu, vel habitu fidei, quatenus no-

118 *stra* vel *qualitas*, vel *actio* dicitur: vel *sensu Christiano*, pro *fiducia*, & *respectu* vel *complexu fiduciali*, qua Christum apprehendit & complectitur: non *priori*, sed *posteriori* sensu *B. Lutherus fidei* tale quid tribuit, eamq; cum Christo & in Christo salutarē intelligit. (3) *Nocent peccata ratione sui*, quia nos æternæ maledictioni, vel condemnationi reddunt obnoxios, non nocent, *ratione Christi*, vel *meriti Christi*, qui propter nos factus maledictum *Gal. III. 13.* & nos à maledictione legis sua morte liberavit.

11. (4) Opponit locum è *libr. de Captiv. Babyl. Vides, quam dives sit homo Christianus, vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam, quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas.* Resp. (1) Si *antecedentia & consequentia*, quæ *Sophista Bellarminus* omisit, juxta regulas hermeneuticas conferantur, nihil incommodi verba citata continent. Nam cum *B. Lutherus* de misericordiæ divinæ divitiis, ut & de promissionum divinarum, baptismo annexarum amplitudine, prolixè differuisset, & papistica figmenta, Baptismo contraria, rejecisset, atq; firmiter statuisset, quod dum à peccatis resurgimus, sive pœnitemus, non faciamus aliud, quam quod ad Baptismi virtutem & fidem, unde cecideramus, revertamur, & ad promissionem tunc factam redeamus, quam per peccatum deserueramus: semper enim manere veritatem & virtutem promissionis semel factæ, nos extenta manu suscepturam reversos, atq; id velle eos, qui dicant, Baptismum esse primum, & fundamentum omnium Sacramentorum, sine quo nullum queat aliorum obtineri: Item cum demonstrasset *B. Lutherus*, quanta baptismi sit in pœnitentibus & tentatis efficacia, colligit hinc; *Ita* (quam particulam sive *relativam*, sive *illativam*, sophisticè *Bellarminus* amputavit, ut *B. Lutbero categoricam & absolutam assertionem* affingere posset) *Vides, quam dives sit &c:* sic etiam *consequentia* verba *B. Lutheri* mentem explicant, & *Bellarminianum figmentum* confutant: Nam immediate subjungit *B. Lutherus: Cætera omnia, si redeat, vel stet fides in promissionem divinam, Baptismo factam, in momento absorbentur per eandem fidem, imò veritatem Dei, quia seipsum negare non potest, si tamen eum confessus fueris, & promittenti fideliter adhaeris &c:* Ex quibus omnibus patescit, quod nihil in
his

his omnibus dicat *B. Lutherus*, quam *immensam Dei gratiam*, *infinitum Christi meritum*, *saluberrimum Baptismi lavacrum*, omne superabundare peccatum, quod passim scriptura demonstrat. (2) notandum est, quod hæc verba non sint *θετικὰ*, prout ea venditat adversarius, sed potius *ἀντιθετικὰ*, quia *B. Lutherus* ibi contra gravissimum errorem *Papistarum* disputat, quo fingunt, infidelibus Christianis peccata post Baptismum commissa, non virtute Baptismi, i. ejus fide, sed potius per merita propria remitti, imo per talia peccata post Baptismum perpetrata virtutem etiam Baptismi prorsus extingvi, nec amplius peccatoribus prodesse posse: contra *v. B. Lutherus* gratiosas Baptismi divitias quoad remissionem peccatorum contra *Papistas* asseruit, & fidem Baptismi juxta *S. L.* potissimum ad remissionem peccatorum urfit.

12. (5) Ex *comment. in cap. 2. Galat.* producit alium locum: *Quando sic docetur, fides in Christum justificat quidem, sed simul servari oportet mandata Dei, quia scriptum est, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, ibi statim Christus negatus est, & fides abolita, quia mandatis Dei, sive legi tribuitur, quod est solius Dei.* Resp. (1) *Paulus* in negotio justificationis semper opera, vel legē, fidei disertis verbis opponit: non igitur peccat *B. Lutherus*, qui juxta *Paulum* idē affirmat. (2) aliud est loqui de *statu fidei & operum simultaneo*, aliud est loqui de *statu succedaneo*: *B. Lutherus* recte dicit, quod non *SIMUL* cū *fide* opera justificent, quod autem *opera bona fidem* sequi debeant, ipse passim asseruit, & *Aug. Confessio art. VI. & XX.* ut & alibi docuit. (3) *B. Lutherus* meriti Christi gloriam respicit; quod sit *plenus redemptor*, non *semiredemptor*, quia non cum operibus nostris *ex parte*, sed absq; nostris operibus *ex asse* nos justificat.

13. (6) In *serm. de Novo Testam sive de Missa: Caveamus*, inquit, à peccatis, sed multo magis legibus & operibus bonis, tantum attendam⁹ Dei promissionem & fidem. Resp. hæc verba nihil incommodi ferunt, si *tractationis objectum*, quod est *Novum Testamentum*, in *Missâ* per Christum institutum, *tractationis scopus*, qui bona Novo Testamento propria respicit, *tractationis modus*, quo *B. Lutherus* à legis opinione l. præensione Christianos ad fidem deducere satagit, *tractationis occasio*, quam à multitudine legum *Papisticarum*, ut exordium sermonis prodit, *Lutherus* accepit, & ipsa

ipsa verba attendantur. (2) Mutilatè quoq; Cardinalis *B. Lutheri* verba producit, ut eo securius eidem errorem tribuere, verbis alienum sensum affingere, & rudioribus fucum facere posset. Patet ex ipsis verbis integris: So sehen wir / scribit *tom. 1. Jen. Germ. p. 339. Et. 1. Altenburg. p. 525.* in fine sermonis: wie Christus seine heilige Kirche mit gar wenigen Gesetzen und Wercken beladen / und mit vielen Zusagen zu glauben erhaben / wiewol es nun leider umbkehret ist / und mit vielen langen und schweren Gesetzen und Wercken wir getrieben werden / from zu sein / wird doch nichts draus. Aber Christus hat eine leichte Bürde / gehet kurz zu / das überschwengliche Frömmigkeit da ist / und alles im Glauben und Trauen siehet erfüllet / das *Esaias 10.* saget: Eine kurze Vollkommenheit wird eine Sündflut voller Frömmkeit bringen / das ist der Glaube / der ein kurz Ding ist / gehören kein Gesetz / noch Werck dazu / ja es scheidet abe alle Gesetz und Werck / und erfüllet alle Gesetz und Werck / darumb so fleusset aus ihn eitel Gerechtigkeit. Denn so vollkommen ist der Glaube / das er ohn alle andere Mühe und Gesetze machet alles / was der Mensch thut / für Gott angenehm und wol gethan / wie ich davon mehr gesagt habe im Büchlein von den guten Wercken. Darumb lasset uns hüten für Sünden / aber vielmehr für Gesetzen und guten Wercken / und nur wol war nehmen Göttliche Zusagung und des Glaubens / so werden sich die guten Werck wol finden / das helffe uns Gott Amen. *Ultima hæc verba, sicut & præcedentia studio Bellarminus omisit, quia commentum ejus refutant. Reliqua non absolute, sed comparatè B. Lutherus affert, & ex toto tractatu hæc verba conclusionis instar infert, & non tam legibus & operibus nitendum, quam promissionibus & fidei confidendum esse docet*

(3) Loquitur etiam potissimum *B. Lutherus* de suis temporibus, & de *Papisticis* tum *Legibus*, tum *operibus*, sicut aperte satis ipsa verba indicant.

14. (7) Deniq; in sermone citato, sic *Deus dilexit mundum*, notat *Bellarminus* illud, quando dicitur: *Ego dico tibi, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Caterum qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare. Et infra: Si veneris cum magnis sacris operum plenis, deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare.*

Item

Item: *Si veneris cum magnis fassis, operum plenis, deponere oportebit,* 221
alioquin non poteris penetrare. Resp. B. Lutherus loquitur de operibus
non Christianae pietatis, sed papisticae superstitionis, ut ipsa verba
produnt. (2) de vana operum fiducia, non de vera bonorum operum
praesentia verba facit, quia talis fiducia nos turgidos & inflatos
reddit exemplo Pharisaeorum Luc. XIX. 9. adeoque sic angustam
portam intrare non valemus, si turgidam operum sarcinam circa
nos habemus. (3) quoad causas justificationis & salutis rectissime
cum Paulo virtutem & glorificationem omnem nostris operibus
adimit.

15. (II) Idem probat ex illo communi Lutheranorum dog-
mate, quod omnia justorum opera sint ex natura sua peccata mortalia,
ut patet ex Luther. assert. art. 31. 32. 36. Nam si bona opera sunt
peccata mortalia, & tamen propter fidem non imputantur, certe peccave-
runt & mala opera propter fidem non imputari, ac per hoc non nocere.
Neque erit causa cur vitentur. Atque hoc est quod dicit Luth. in captiv.
Babylon. omnia peccata in momento à fide absorberi. Resp. (1) B. Lu-
th. in c. 5. Galat. Extra causam justificationis, scribit, nemo potest
verè bona opera satis magnifice commendare. Quis vel unius boni o-
peris, quod Christianus ex fide, & in fide facit, utilitatem & fructum
satis predicare potest? est enim preciosius, quam caelum & terra. (2)
Falsum, quod usquam B. Lutherus dicat, aut scribat, quod opera
bona SUA NATURA sint mortalia peccata. Nam art. 31. dicit;
In omni opere justus peccat. artic. 32. opus bonum optime factum est
mortale peccatum secundum judicium Dei: art. 36. justus in bono ope-
re peccat mortaliter: multo minus id demonstrare poterit, quod
hoc sit commune Lutheranorum dogma: nam aliud est, bonum opus ex
natura sua, & aliud est, idè ex adhaerente culpa aestimare: aliud, illud
juxta hominum sententiam, & juxta Dei justitiam considerare: a-
liud, illud secundum judicium mundi, & aliud secundum judicium
Dei spectare &c: prioribus, non posterioribus respectibus, pecca-
tum dicitur: justus igitur in opere bono peccat mortaliter, non
absolutè, & simpliciter, sed secundum quid, non quatenus sua natura
opus bonum, sed quatenus ex corruptione nostra eidem adhaeret
vitium, non quatenus in sua natura, sed quatenus in vana fiducia
spectatur, nim. quando vel opinio meriti, seu meriti, vel opinio fi-
ducia

Q

ducia, quoad justitiam acquirendam, ipsi tribuitur. (3) B. Luther. nihil aliud dicit, quam quod passim in scripturis legitur Eccl. VII. 21. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet Prov. XX. 9. Quis potest dicere, mundum est cor meum? Esa. LXIV. 6. Facti sumus ut immundi nos omnes, & quasi pannus menstruatae sumus omnes justitiae nostrae. Sic Paulus bonorum operum studiosus pertinacissimus Phil. III. 7. scribit: Quae mihi lucra fuerunt, haec arbitratus sum propter Christi detrimenta. Et iterum: Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Unde suis calumniatoribus, & sic etiam Bellarmino Lutherus jam olim ad assert. 31. respondit: Quid ergo, scribit, meum articulum damnant? Damnent illud Esai. 64. Et facti sumus, ut immundi nos omnes, & quasi pannus mulieris menstruatae universae justitiae nostrae. Et illud Eccles. 7. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Obsecro, qui universas justitiae nostras justitias immundas dicit, nonne omne opus bonum peccato pollutum asserit? Damnent & illud Ps. 143. Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Deus enim justus iudex, bonum opus damnare non potest. Quum autem hic dicat, non justificari ullum viventem etiam servum Dei, planum est, nullum opus bonum posse **JUSTUM DEI JUDICIUM SUSTINERE**, quare nec **PLENE BONUM**. Et proinde, juxta Lutherum ipsum, dist. inter iudicium divinae misericordiae, & justitiae, inter iudicium externum mundi, & interum Dei, inter iudicium Dei paternum, & inter iudicium ejus nomotheticum, inter opus bonum vere, & plene bonum, ipsius sententia justorum opera sunt vere, sed non plene bona ad iudicium paternae misericordiae referri possunt, sed iudicium legis severum **SUSTINERE** nequeunt. Exceptiones ex dictis solvuntur, & in discursu pluribus illas expediemus.

16. (III) Idem Bellarminus probare conatur ex discrimine legis & Evangelii. Nam ex doctrina Lutherianorum, prout scribit, communi hoc interest inter legem & Evangelium, quod lex proponat justitiam & salutem cum conditione totius legis implenda, Evangelium promittat justitiam & salutem sine ulla conditione, sed absolute, vel cum sola conditione fidei. Et hinc deducunt alterum discrimen, quod lex terret, Evangelium consolatur. Ita docet Lutherus passim in Com-
mentis

ment. ad c. 2. Galat. & alibi, Philippus in locis, tit. de lege & Evang. 223
& alii. Et in Colloq. Altenburg. ita loquuntur Saxonici: Legis promissiones sunt conditionales, proponunt enim cum conditione obedientie, sed promissiones Evangelii non sunt conditionales, sed gratuita. At si Evangelium nullam requirit conditionem obedientie, sed est sola fide contentum, certe qui nihil boni faciat, consentaneè ad Evangelium vivet. &c: Verum (1) male separantur ea, quæ divinitus sunt conjuncta: licet enim lex & Evangelium multis modis distingvantur ratione sui, tamen ratione nostri, totiusq; vite nostræ malè separantur. Dist. inter legem & Evangelium ratione φύσεως vel διδάξεως, quatenus ratione nature, vel doctrine considerantur, & inter legem & Evangelium ratione χρήσεως vel πράξεως, quatenus ratione usus, vel vite Christiana spectantur: priori modo distincta sunt & manent, nec ipsorum discrimen inane censendum, sicut postea Bellarm. autumat, sed posteriori modo conjunctissima sunt, & neutiquam à se mutuo divellenda. (2) cū Evangelium sit concio gratiæ, divinitus oblata, & ex mera Dei misericordia profecta, certè non à quadam conditione hominis, vel ab ejus obedientia pendere potest: lex verò, quia regula vite nostræ, conditionem talem à nobis exigit. Fallum igitur est, quod inde Bonorum operum studium prohibeamus, quia cum Evangelio legem arctissimo vinculo jungimus, & obedientiam, non in justificatione, ceu causam, sed post justificationem, tanquam effectum, urgemus. (3) Evangelium est sola fide contentum, quoad gratiæ apprehensionem, sed paritè in nobis obedientiam, quoad gratiæ manifestationem. Requirit igitur conditionem obedientie, non à priori, nec à formali ratione justificationis, sed à posteriori. (4) Fallum est, quod ex sententia nostra, qui nihil boni faciat, consentaneè ad Evangelium vivat: nos enim cum Paulo Phil. 1. 27. dignam Evangelio conversationem & vitam urgemus, quæ nim. in veritate & constantia fidei, & in pietate, vel innocentia vite, ac in Christiana patientia malorum consistat: Tantum, inquit, digne Evangelio Christi conversamini, ut sive cum venero, & videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno Spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii, & in nullo terreamini ab adversariis, quæ illis est judicium perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo, quia vobis donatum est pro Christo, ut non solum in eum

224 *credatis, sed ut etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc auditis de me. Ad hæc verba B. Hunn. in Comment. p. 47. Prescribit eis, quales se interea, dum adhuc differtur ille suus adventus, se gerere debeant, & exuscitat eos ad ducendam VITAM INCULPATAM: nimir. ad conversationem Evangelio dignam, ad unanimitatem, ad constantiam in asserenda veritate, ad tolerantiam in ferendis injuriis & persecutionibus hostium. Vid. Loc. Commun. n. 3. p. 51. Et ipse Paulus exponit id ipsum, quid sit digne Evangelio vivere, quod non sit Diabolo, sed Deo vivere, non malis operibus indulgere, sed bonis operibus studere Coloss. I. 9. 10. Non cessamus pro vobis orantes & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia & intellectu spirituali, ut AMBULETIS DIGNE DEO, per omnia placentes, IN OMNI BONO OPERE FRUCTIFICANTES, & crescentes in scientia Dei, IN OMNI VIRTUTE confortati, secundum potentiam gloria ejus, in omni patientia & longanimitate cum gaudio gratias agentes Patri, qui nos idoneos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. (5) Fides vel ratione DEI, vel ratione nostri, vel organicè, vel practicè, vel ratione gratia, vel ratione vite, vel ratione causalis, aut instrumentalis actus, vel ratione spiritualis fructus, vel ratione Evangelii, vel ratione legis &c: consideratur: prioribus respectibus in Christo salutem gratuitam apprehendit, posterioribus vitam bonis operibus conspicuam reddit. (6) Falsum est, quod hæc vel sint *ισοδυναμικα*, vel simul stare possint, nimir. absolute nulla bona opera necessaria esse ad salutem, & consolationem magnam ex Evangelio percipere; & justificari & salvari etiam eos, qui voluntariè in sceleribus perseverant. Nam prius est Paulinum & Christianum, quia Paulus in negotio justificationis & salutis fidem & opera, gratiam & opera, perpetuo sic opponit, ut absolute meritum, medium, vel etiã requisitum operum ab actu justificationis excludat, nostramq; salutem gratuitum Dei donum simpliciter asserat: sed posterius est Epicureum, & jam à Paulo refutatum Rom. VI. 1. Quid ergo dicemus? manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? proinde fideles mortui sunt peccato, non amplius eidem vivere, vel in eodem perseverare, multo minus, voluntariis sceleribus indulgere possunt.*

17. (IV) Probat idem ex libertate Christiana, quam Luthe- 215
rani communi consensu doceant: In eo siquidem, ut habet, Bel-
larm. libertatem Christianam constituent, quod homo justus sit liber à
debito legis implenda coram Deo, & per hoc omnia opera sint illi jam
indifferentia, nec precepta, nec prohibita. Quod necessario colligunt ex
alio principio, quo docent, legis observationem esse etiam justis penitus
impossibilem. Nam si lex impossibilis est, nisi tollatur debitum ejus im-
plenda, omnes damnabit. Ne igitur justis damnentur, ab ejus jugo &
debito liberantur. Hanc in rem producit B. Lutherum tum lib. de
libert. Christ. tum in Comm. ad Galat. tum in sermone de Mose. nlm.
ex Comment. in c. 2. ad Galat. Sola fides necessaria est, ut justis simus,
cetera omnia liberrima, neq; precepta amplius, neq; prohibita. Ibid.
Si conscientia dicitur at peccasse, responde, peccavi: ergo Deus puniet, &
damnabit? Non: At lex hoc dicit. Sed nihil mihi cum lege. Quare?
Quia habeo libertatem. Et in argumento Ejusdem Epistolæ:
Summa ars & sapientia Christiana est, nescire legem, ignorare opera,
& totam justitiam activam: Et in lib. de Libert. Christ. Nullo opere,
nulla lege homini Christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni
lege. Verum respondemus (1) in genere (2) quod communiter
Papista nobis Libertinismum objiciant, & affingant, sed contra
manifestam experientiam, propriam conscientiam & meliorem scien-
tiam: non igitur accusare sufficit: (b) Opinionum portenta
quæ Libertinis tribuuntur, & à B. Luthero, & à Lutheranis, in u-
niversum tam publicis, quam privatis scriptis rejecta fuerunt,
nullo proinde jure talia Pontificii nostratibus imponunt. (c) De
bonorum operum moralium indifferentia nullum apud nostros inve-
nitur verbum, sed hoc ipsa Formula Concordiæ tradit juxta scriptu-
ram, quod spontaneo, liberrimoq;ve, non coacto spiritu Bona o-
pera præstare debeamus. Hinc talem indifferentiam B. Lutherus
passim repudiat, & de libertate mentem suam explicat. Habet. scri-
bit in Comm. c. 3. Genes. libertatem homo non talem, ut si Deus
præceperit, possit id facere, vel non. Quod enim ad præcepta Dei at-
tinet, non est homo liber, sed debet obedire voci Dei, aut sustinebit sen-
tentiam mortis. Et iterum in lib. de votis Monast. Non est Evargeli-
ca libertas, posse omittere mandata Dei, non sumus liberi ab operibus
faciendis. Et in præfat. Epist. ad Rom, Libertas, seu liberatio à lege
non

non est carnalis libertas, nihil faciendi, sed est spiritualis libertas, quæ non tollit legem, sed id, quod à lege requiritur, donat & præbet, ut scilicet cum delectatione & dilectione sine coactione legali bona faciamus. (d) Denique, quod lex impletu nobis sit impossibilis, patet ex scriptura, ex corrupta nostra natura, ex perfectione legis summa, sicut & ex aliis fundamentis, quæ passim alibi producuntur.

18. (2) In specie, quod concernit B. Lutheri dicta, multis modis in iis mutilandis, detorquendis & malè applicandis Bellarminus sophisticam suam exercet. Dicimus igitur ad (α) quod Lutherus justitiam non legis, sed Evangelii, non coram hominibus, sed coram DEO intelligat, h. e. justificationem, sicut etiam Germanica verba docent tom. 1. Altenb. p. 173. Denn es ist allein von nöthen der ewige Glaube in Christum / zu dem, das wir gerecht werden / h. e. ut coram Deo justificemur. Deinde loquitur de ceremonialibus & liberis objectis, non moralibus vel necessariis: non enim in his, sed in illis Petrus Paulus reprehendebat, de quo exemplo Lutherus ibidem agit: talia proinde ceremonialia dicuntur in universum liberrima, nec in N. T. præcepta, nec prohibita, modo rectè Christiana libertate utamur, nec proximum intempestivo usu scandalizemus: sed hæc malè Bellarminus de moralibus, intelligit, & de lege morali σοφιστικῶς exponit, ut eo confidentius B. Lutherum accusare possit: verum in eo malitiam suam prodit. Conf. Comment. prolixior in c. 2. Galat. anno 1535. à B. Luthero editus, in quo B. Lutherus & legis necessitatem, & operum legalium utilitatem ac dignitatem pluribus exposuit, & hoc commentum Bellarminianum à se removit.

19. Dicimus ad (β) Lutherus loquitur de libertate à legis maledictione, condemnatione, vel etiam coactione, non ab ejusdem informatione, obligatione & observatione, quod etiam Paulus sæpius inculcat: talem omnino libertatem habet Christianus, utpote in quo nihil est condemnationis, cum sit in Christo Jesu Rom. II. 1. Deinde sicut Paulus dicit, quod justo non sit lex posita, nim. quoad rigorem atque pœnam I. Tim. I. 9. ita B. Lutherus idem ex Paulo repetere potuit. Denique lex nostram conscientiam urget & terret, quatenus peccatis commaculatur, non quatenus propter Christi meritum remissionem peccatorum, & absolutionem, tum à culpa, tum à pœna, firma fide divinitus consequitur.

20. Dicimus ad (γ) quod B. Lutherus non absolute confi- 227
deret Christianum, sed in angoribus conscientie, coram iudicio Dei
constitutum, quod sic optimum sit legem & Moysen non attendere,
vel negligere, vel nescire gratiam & Christum respicere, non opera,
sed fidem apprehendere, quæ constans est Pauli doctrina. Deinde
rursus B. Lutheri verba Bellarminus mutilavit, & sic mutavit, ut eo
impudentius verba Lutheri suggillare posset. Sic enim B.
Luth. t. 6. Altenburg p. 522. Das ist der Christen höchste Kunst und
Weisheit / das wenn sie das Gesetz verflucht / und erschreckt umb der
Sünde willen / sie sich schlechts an Christum halten / der für die Sün-
de bezahlet hat / und gar nichts wissen weder vom Gesetze / noch vom
Wercken / noch von einigerley Gerechtigkeit ihres eigenen Thuns.
Deniq; extra casum hunc legi suam dignitatem & utilitatem
tribuit B. Lutherus, unde verbis immediate seqq. addit, quod ma-
litosè Bellarminus omisit: Gleich wie sonst außserhalb der Christen-
heit dis die allerhöchste Weisheit ist / das man das Gesetz / Werck und
Gerechtigkeit unsers eigenen thuns auff's aller beste wisse / und alle
wege für augen habe. Sic igitur, juxta B. Lutherum, tentatis summa
sapientia coram Deo Christum nosse; sed hominibus coram mundo
summa sapientia, legem & opera sanctitatis nosse, vel exer-
cere.

21. Dicimus ad (γ) quod & in hoc libro, & passim alibi, B. Lu-
therus mentem suam de Christiana libertate proposuerit. Nam in-
ter alia de libert. Christ. scribit ex Paulo, & cum Paulo; Cla-
rum est, homini Christiano fidem sufficere pro omnibus: nec operibus
ei opus fore, UT JUSTIFICETUR: quod si operibus non habet o-
pus, nec lege opus habet (vid. UT JUSTIFICETUR): Si lege non
opus habet, certe liber est à lege, verumq; est: Justo non est lex posita.
Atq; hæc est Christiana illa libertas, fides nostra, quæ facit, non ut o-
tiosi simus, aut male vivamus, sed ne cuiquam opus sit lege,
aut operibus ad justitiam & salutem. Et ibidem scribit: Non liberi
sumus per fidem in Christum ab operibus, sed ab opinionibus operum, i.
e. à stulta presumptione justificationis per opera quæ sita. Deinde Chri-
stianus ut in Christo, nō in semetipso consideratur: priori modo, nec
opere, nec lege, sed fide, opus habet, cum fides unicum sit medium
Christū apprehendēdi, & possidēdi, ac in ipso manēdi; posteriorē
respectu

228 respectu studium bonorum operum ab eodem exigimus.

22. Deniq; (V) probare conatur idem ex vita & moribus Lutheranorum, qui occasione hujus doctrinae ita ceperunt incredibili licentia in omnia scelera & peccata prorumpere, ut necessum fuerit, Lutherum ipsum Visitationem instituire, & laudare bona opera, atque ad ea populos cohortari. Verum qualis Roma fuerit ante & post Lutherum, publicè notum, nec melior, nisi peior, vita Papistarum, quam Lutheranorum. Et tempore Christi, publicani, meretrices, alii plures notorii peccatores extiterunt, quod tamen doctrinae Christi non est imputandum. Apostoli quoque passim de suis temporibus conqueruntur: hinc facile patet, quod à vita non liceat ad doctrinam argumentari. Deinde nec licet à visitationibus ad doctrinam falsam, vel etiam vitæ male patrociniū argumentari. Nam & Christus aliquoties visitationes Ecclesiae suscepit, & idem Apostoli fecerunt: imò contrarium inferre debemus, si B. Lutherus propter malam auditorum vitam visitationes suscipere voluit, sequitur, quod malos illos mores non probaverit, nec doctrina sua foverit, vel promoverit, sed potius illos per ipsas visitationes, juxta doctrinam suam, emendare studuerit. Deniq; prout superius vidimus, B. Lutherus magnifice Bonorum operum studium extra justificationis articulum commendavit, nunquam laudem ipsis bonis operibus detraxit, quemadmodum ex omnibus ejus scriptis, & ex ipsis Catechesibus ejus, liquido satis apparet. Neq; curamus, quæ Cochleus, mendacissimus de vita Lutheri scriptor, prout sæpius Papistis ostensum, in B. Lutherum effutire voluit.

23. Et licet addat Bellarminus, quod rectè i. e. consentaneè ad Lutheri dogmata in Colloquio Altenburgensi quidam ex rigidis Lutheranis dixerint: Opera bona & novam obedientiam non ad regnū Christi, sed ad mundum pertinere. Item ad Satanam spectare Christianos cum operibus bonis. Item: Adeo non esse necessaria opera bona, ut etiam ad salutem incommodent, sineq; pernicioſa. Deniq; precari oportere, ut in fide, sine omnib; operibus bonis, usq; in finem perseveremus: tamen non adducit, ubi locorum in Altenburgensi Colloquio hæc dicta reperiantur, non alia de causa, quam, sicut hæcenus vidimus, ut verbis mutatis, mutilatis, in alienum sensum detortis, securius uti possit, quod non est boni Disputatoris, vel Doctoris, sed
malitiosi

malitiosi sophista. Deinde notum est, quod in *Altenb. Colloquio* 129
Theologi sinceriores contra Majoristas, & bonorum operum necessita-
tem ad salutem disputarint, adeoq; secundum causæ totius statum
omnia ipsorum effata sunt accipienda, quod nim. *opera bona non*
sint ad salutem necessaria, quamvis aliis respectibus quamplurimis
necessaria sint & maneat, quã necessitatẽ etiam in ipso *Colloquio*
Doctores orthodoxi passim asseruerunt, & bonis operibus attri-
buerunt. Deniq; circa *primum dictum* observandum, quod *regnum*
Christi tripliciter considerari queat, (1) *quoad fieri*, sic oramus: *Ad-*
veniat regnum tuum, nos autem nostris operibus ad hunc adven-
tum nihil conferre possumus: est *mysterium divinae gratiae*, non
humanae energie. (2) *quoad esse*, sic Christus & ejus mysteria cum
Christianis, quã talibus, regni constitutionem absolvunt, ita ut
nec veniat cum observatione *Luc. XVII. 20.* nec in *rebus externis*
consistat *Rom. XIV. 18.* cũ *omnis gloria filiae Sion* sit ad intus *Psal*
XLV. 14. nec opera nostra sic Christi regnum ingrediuntur. (3)
quoad operari, sic à *posteriori* quodammodo fidelium opera ad re-
gnum Christi referuntur: aliàs autem quatenus externa Christia-
norum opera proximo serviunt, sic ad *mundum* referuntur. Ad
secundum dici potest, quod *Christiani nomine*, non *veritate* tales,
fidant operibus, & sic tanquam *hypocrite* cum *Phariseis & Papis*
non ad *Christum*, sed ad *Satanam* spectent in suis operibus bonis,
quibus gratiam & vitam mereri suscipiunt. Ad *tertium* responde-
ri potest ex illo *Pauli Phil. III. 7.* & sic O. B. respectu *justificationis*
incommodare videntur, prout Christus inquit: *Nisi abundaverit ju-*
stitia vestra plus, quam Phariseorum & scribarum, non potestis in-
gredi regnum celorum. *Matth. V. 20.* Quid autem sentiendum sit de
phrasi, *Bona opera sunt pernicioosa, vel simpliciter, vel sunt ad salutem*
pernitiosa, facile patet ex *Form. Concord. artic. IV.* tum in *Epitom.*
Controv. tum in *solida declarat.* Ad *ultimum* responderi potest
quod hæc *precatio* non *directa* sit contra *presentiam*,
sed contra *vanam fiduciam Bonorum operum*: & quod *fides*
in *actu justificationis*, non in *actu sanctificationis*, sine bonis operi-
bus consideretur. Interim simpliciter ejusmodi loquendi for-
mulas nec approbamus, nec usurpamus, quemadmodum de simi-
libus formulis ipse *Liber Concord.* monuit in *sol. Declar. art. 4.* nec
R
que

que tamen propterea debemus ex quibusvis testimoniis, certo respectu prolatis, absolutas assertiones, vel ex incommodis locutionibus peculiare doctrinas fingere, quod omnino Sophistarum proprium esse dicitur, quorum artificium Bellarminus in his adductis imitari voluit.

QVÆSTIO SECUNDA.

Num Papistis injuria fiat, quando per Aug. Confessionem in Artic. VI. accusantur, quod confidant per opera bona justificationem coram Deo mereri?

1. **V**etus querela Papistarum, quod minimè fiduciam in propria collocent opera, vel confidant bonis operibus, salutem coram Deo mereri, sicut scribit Apostata Pistorius in 100. mendac. quæ D. Hunnio tribuit: *Turpe mendacium est, Catholicos fiduciam suam collocare in propriis operibus & sanctitate, & non in Dei gratia & misericordis fide in Jesum Christum ex hac vita decedere.* Querelam eandem repetit Thom. Henrici in Iren. Cathol. p. 1. artic. 6. p. 6.

2. Verum ubi rerum & verborum testimonia satis luculenta, satis multa reperiuntur, ibi non opus est multis argumentis. Ex praxi Papistarum perpetua ferè liquet id ipsum, quid suis operibus intendant, & quomodo magis illis, quam ullis aliis rebus confidant. Sed praxin illam urgere nolumus, dogmata saltem ipsorum hic attendimus. Plurima v. testimonia producere possemus, sed nunc paucis contenti sumus. Vitus Miletus in discuss. error. p. 256. scribit: *qui non confidit, se accepturum vitam aeternam propter opera, plane fatuus est Salomon Theodotus in Henotico dissecti Belgii p. 4. cap. 8. p. 411. Nos Spiritus S. docuit, veram & solidam confidentiam haberi, NISI EX BONIS OPERIBUS, NULLO MODO POSSE: Hereticorum autem confidentiam, quæ uni soli fidei innititur, stultam esse insaniam.* Petrus à Soto in Assert. fidei Cathol. contra Confess. Würtenb. artic. de B. O. ita fidendum esse bonis operibus, censet, ut ad expianda peccata, iram Dei placandam, & vitam aeternam consequendam necessaria sint & utilia. Et paulo post: *Propter has virtutes, Fidem, Spem & Charitatem, intrepide Catholicus hominem justum esse coram Deo fatetur, & meritis eorum in judicio*

dicio.

131
judicio Dei veraciter sibi confidendum. Hæc satis plana sunt asserta, quibus aperte demonstratur, quod fiduciam *originaliter, materialiter & finaliter*, ad opera meritoria, *Papistæ* referant, quod nim. *originaliter* ex operibus bonis ortum fiducia sumat, quod *materialiter* eadem apprehendat, & *judicio Dei* offerat, & quod *finaliter* eadem respiciat, ad *expianda peccata, iram Dei placandam* &c: sicut etiam *Alphonsus à Castrol. 13. adv. Hæres.* verbo, *Spes* scribit: *Justorum spes à meritis ortum habet, propterea, quod illorum vita est, sicut mercenariorum, qui non sperant, se suscepturos mercedem, nisi labores precedant.*

3. Sunt tamen alii mitiores, qui non simpliciter, adæquate, primario, vel ex *asse* fiduciam ad opera referunt, sed tantum alio quodam *secundario*, vel alio respectu. Sic enim *Salmero tom. 7. tract. 40. p. 208.* scribit: *Opera & merita nostra confidentiam in nobis operari, ita ut in illis, tanquam Dei donis, liceat secundario confidere.* *Bellarmin l. 5. de justific. cap. 7. §.* Sed *Catholica*, saltem aliquam fiduciam operibus tribuit, non omnem: *Catholica*, scribit, *Ecclesiæ præcipuam quidem spem & fiduciam in Deo ponendam esse, ALIQUAM tamen etiam in meritis poni posse docet.* Sic in *Propos. I. Fidem & opera* conjungit *ibid. Fiducia sanctorum, quam in Deo constituunt, NON EX FIDE SOLA, SED ETIAM EX BONIS MERITIS nascitur.* Confer *propositio secunda.* Plura testimonia passim in scriptis *Papistarum* annotari possunt.

4. Cica *statum Controversiæ* nonnulla præmittere placet (1) quod hic ne utiquam agamus de *fide legali*, sed *Evangelica*: nam de illa facile concedimus, quod *virtus & opus* sit, & quod etiam *opera* respicere possit, sed *hæc non est opus, nec virtus, sed apprehendenda salutis organon.* (2) quod hic etiam non de *fide humana* coram *proximo*, sed de *fide divina* coram *ipso Deo*, nec de *bonis operibus* coram *judicio politico*, sed *divino*, solliciti simus, cum faciles largiamur, quod coram *proximo*, vel etiam *politico* *judicio* fidem servare debeamus, & in eadem gloriari queamus: sed hæc fides coram *Deo* non valet. (3) Non agitur hic de *bonæ conscientiæ testimonio*, quod maximi facimus, quia *conscia mens recti facta mendacia ridet, & hic murus abeneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa:* vir bonus igitur conscientiæ suæ, vel operibus etiam bonis fidere tenetur.

tenetur. Hinc (4) non quæritur de *vita morali*, vel *Ethica*, vel etiam *civili*, atque *politica*, annon in eadem recte factis, vel bonis operibus fidere liceat? Hoc enim utraqve manu concedimus. (5) Non agitur de *Bonorum operum memoria*, vel *sanctæ vitæ commemoratione modesta*, aut *comparatione vitæ piæ cum impiis sanctis consuetæ*, vel *alia quadam sanctæ bonorum operum introductione*, quam omnino cum scriptura probamus: sic etenim pium est, opera bona, tanquam Dei dona, cum gratiarum actione sibi rursus in memoriam vocare, quod passim fecerunt sancti, sed absque fastu pharisaico *Luc. XII. 11.* nec impium est, eadem coram Deo commemorare, divinam misericordiam implorare, quemadmodum *Nebemias* non semel illud repetiit: *Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia, quæ feci huic populo c. V. 19. XIII. 14. &c.* sed quod hac vel commemoratione, vel provocatione, nullam in operibus gloriam quæsierit, nec fiduciam in opera bona collocaverit, aut meritum remissionis peccatorum, vel salutis, iis tribuerit, ipsemet exponit *c. XIII. 22.* *Pro hoc, inquit, memento mei Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum:* quæ certe deprecatione non fuisset opus, si bonis suis operibus firmiter confidere vel potuisset, vel voluisset. Conf. *Psal. LXXIII. 13.* ubi notabilem vitæ suæ comparationem *Assaph* cum impiis instituit, nec ullam tamen coram Deo fiduciam de suis operibus concipit. (6) Nec hic quicquid derogamus *receptæ distinctioni*, quæ passim, cum primis in *Psalterio*, locum invenire deprehendimus, quæ distinguunt nostri Theologi inter *justitiæ causæ*, sive bonæ cōscientiæ, & *justitiæ personæ*: nã sancti, quando provocant ad *justitiæ suâ*, de *justitia causæ*, *bonæ conscientiæ*, cum primis quoad *causam certam*, quoad *persecutorem certum*, quoad *accusationem certam* &c. loquuntur, quæ ratione *bonitati causæ* fidere, ad *justam suâ causam* respicere, *justum etiam Dei iudicium*, sic expetere possunt, sed propterea *ratione personæ*, ne utique coram Deo justitiam prætendunt, nec suis operibus in negotio salutis confidunt, nec meritum suis operibus affingunt. (7) nec quæritur, annon *fideles in studio bonorum operum confidenter persistere*, & *Zelum pietatis præ se ferre*, *zelotas bonorum operum*, vid. sanctos Dei homines, imitari, & gloriam pietatis ac servi fidelis, post *justificationem expetere debeant*? Hoc itidem probamus. Sed illud est, quod in Adversariis improbamus, quod *fiduciam in ipsa*

justificatione, vel acquisitione salutis, coram Deo nostris bonis operibus tribuant, illudq; disertis verbis doceant, quod ex antea productis testimoniis apparet.

133

5. Sed Thomas Henrici d. l. de injuria suis illata conqueritur, & quod tale quid doceant, negare conatur (1) quia unanimi consensu Papistæ doceant, quod nullus peccator suis operibus bonis peccatorum remissionem & justificationem apud Deum mereatur. Sic n. ille: der Anhang (nim. art. 6. A. C. non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri) gehet unbillicher weise auf die Römisch-Catholische/als wenn sie einer widrigen Meinung weren/ das auf solche Werck nicht dergestalten zuvertrauen / als wann man dadurch Gnade für Gott / Vergebung der Sünden und Gerechtigkeit verdienen könne: sintemahl bey uns einhellig gelehret wird / das kein Sünder mit seinen guten Wercken Vergebung der Sünden und Gerechtigkeit bey Gott verdiene. Resp. (1) dicitur hoc, sed non probatur: contrarium ex antea productis testimoniis est apertum. (2) Confessio August. jam olim artic. XX. observavit, quod Papistæ adversarii nunc admoniti talia dediscant, quæ prædicarunt olim inutilia opera, quod etiam inceperint tum fidei mentionem facere, de qua mirum olim fuerit silentium: quod etiam docuerint, nos non tantum operibus justificari, sed fide & operibus &c. Et certe si non mentem, tamen linguam mutarunt, quemadmodum hodie Syncretistæ Papistarum quam proxime nostram linguam imitari gestiunt. (3) Quod v. Thomas Henrici fabulatur, Romano-Catholicos unanimi consensu Confessioni, vel orthodoxiæ subscribere, illud falsissimum. Audiamus præter alios ipsum Syndrium Doctorum Papisticorum, Augustæ Congregatorum, Confutationis autorum, quid illi Confessioni hujus articuli responderint: Si quis, inquiunt Art. 4. Confut. vellet improbare merita hominum, quæ per assistentiam gratiæ divinæ sunt, plus assentiret Manichæis, quam Ecclesiæ sanctæ Catholice. Omnino enim sacris literis adversatur negare, meritoria esse opera nostra &c: Art. V. Fidei & spes, & charitas simul in justificationis negotio conjunguntur. Art. VI. Quod in eodem articulo justificatio soli fidei tribuitur, ex diametro pugnat cum Evangelica veritate. Deniq; Artic. XX. Unum est, quod ad Principes ac Civitates pertinet, De Bonis scil. Operibus,

R 3

quod

quod non mereantur remissionem peccatorum. Quod ut superius reje-
ctum ac improbatum est, ita & nunc rejicitur & improbatum. Ex qui-
bus apparet quod Papistæ tum temporis unanimi consensu do-
cuerint, quod Thomas Henrici nunc fraudulenter negare conatur.
Licet alii modo in modo loquendi, alii in ordine, alii in respectu, alii
in aliis excusationum effugia quæsierint, & adhuc σοφισμῶς
quærant, res tamen ipsa manet eadem, opera scil. bona coram
Deo meritoria esse ad salutem & justificationem, ac proinde fidu-
ciam in iis collocari posse.

6. (II) Quia Papistæ statuunt, hominem peccatorem, quando
penitentiam agit, ex mera gratia Dei, per meritum Christi, peccatorum
remissionem & justitiam consequi. Resp. (1) ludit æquivocatione
in verbis, wann er wahre Busse thut: hæc enim verba vel intelli-
guntur sensu Papistico, quod ex viribus arbitrii propriis homo sei-
psum ad conversionem disponere, hac dispositione de congruo
quodammodo mereri, & sic Deo in conversione & justificatione
sua cooperari possit, qua ratione meritum operum si non in totum,
tamen in tantum, stabilitur: vel sensu orthodoxo, quod homo nondum
conversus in sui conversione sese non active, sed passive habeat: prio-
rem sensum Thomas Henrici respicit, quæ in Anatom. sua art. 6 quæst. 3.
p. 104. seq. prolixè propugnat, prout in Discuss. Anatomias illud
refutavimus, & hic meritum operum confirmat; sed posterior mini-
me. (2) Facile largimur, quod Papistæ gratia & meriti Christi men-
tionem faciant circa negotium justificationis, hæc tamen opera
vel conjungunt, vel præferunt, quod sacris Literis aperte contra-
riatur. (3) quod mera gratia meminit, illud vel de justificatione
prima, quam Papistæ fingunt, intelligit, vel de gratia promissionibus
& oblationibus accipit, quod oblatio gratiæ, remissionis peccato-
rum, & justitiæ, ex mera gratia contingat, non autem de applicatio-
ne exponit, quasi homo prorsus in prima sui conversione nihil o-
perari possit.

7. (III) Ex Concil. Trident. Sess. VI. can. 6. Si quis dixerit, ho-
minem suis operibus, quæ vel per humanæ nature vires, vel per legis do-
ctrinam fiant, absq. divina per Jesum Christum gratia posse justificari
coram Deo, anathema sit. Et Can. 8. Gratis justificari ideo dicimur,
quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera,
ipsum

1351
ipsam justificationis gratiam meretur. Si enim gratia est jam non ex operibus, alioquin, ut idem Apostolus inquit Rom. 11. gratia jam non est gratia. Resp. de Sophistica Concilii Tridentini, quoad articulum justificationis, in occultando vero controversiæ statu, B. Chemnit. p. 1. Exam. p. 128. seqq. prolixè disserit, quod nim. insidiosè & magno studio celetur, ut eò facilius orthodoxam sententiam calumniari, & heterodoxam suam opinionem exornare possint, sed ut eo rectius tota causa ponderari possit, status omninò controversiæ notandus est, nim. quid sit illud, propter quod Deus hominem peccatorem in gratiam recipiat, quid judicio Dei opponi debeat & possit, ne juxta rigidam legis sententiam damnamur, quid fides apprehendere & afferre, quo niti debeat, quando vult cum Deo agere, ut accipiat remissionem peccatorum, quid interveniat, propter quod Deus peccatori, qui commertus est iram & æternam damnationem, reddatur placatus & propitius: quid conscientia statuere debeat, illud esse, propter quod donetur nobis adoptio, in quo toto collocari possit fiducia, ut acceptemur ad vitam æternam &c. An illud sit satisfactio, obedientia & meritum filii Dei Mediatoris, an varò inchoata in nobis novitas, dilectio & reliquæ virtutes in nobis. Prius Lutherani, posterius Tridentini defendunt. Deinde equivocatione ludunt Tridentini Paterculi in voce gratiæ, quia non intelligunt per gratiam activum & benevolum Dei favorem, quo miseros homines complectitur, sed infusum charitatis habitum, qui in nobis reperitur: qui habitus inhærens qualitas est, vel opus novi hominis, adeoq; homo sic non per gratiam gratuitam, sed per gratiam inbensivam justificatur. Deniq; disertis verbis testantur, quod tantum opera præcedentia, non autem opera ingredientia, concomitantia, & consequentia, à merito justificationis excludant, quæ tamen opera omnia nihil justificationis afferre possunt.

QVÆSTIO TERTIA.

Num opera bona verè meritoria sint? N.

1. **H**æc quæstio ferè totius Papatus fundamentum & nutrimentum complectitur, quia pleriq; Pontificiorum errores ad merita nostrorum operum respiciunt, unde nemo Papisticorum scriptorum

ptorum est, qui non ad exornandam hanc *Thaida* suas partes conferat, impræsentiarum nobis cum *Thoma Henrici* res erit, qui *fucuna Syncretisticum* & simul *ornatum Papisticum* conjungere voluit p. 2. *Iren. Cathol. q. 5 p. 41. seqq.* ut ornatisimam eam efficeret.

2. Ut autem eò feliciter noster labor procedat, circa *statum controversiæ*, nonnulla præmittimus (1) *Quod ratione subjecti quæstio* non sit, de *homine integro*, qualis *Adam & Eva* fuit olim ante peccatum: horum enim integritas opera perfecta præstitisset, & divinæ legi satisfacisset, nisi *Diaboli* fraus intervenisset, & omnem hominum integritatem perdidisset. (2) Nec quæritur hodie de corruptis hominibus inter *nos & Papistas*, licet olim tales fuerint, cum primis inter *Scholasticos*, qui nunc etiam post lapsum homini bonorum operum meritum concesserunt, quemadmodum ipse *Thomas 1. 2. quæst. 2.* scribit: *Creatura rationalis seipsam movet ad agendum per liberum arbitrium, unde tota actio habet RATIONEM MERITI, quod non est in aliis creaturis.* Et ad minimum saltem meritum congrui, quoad peccatores ante gratiam, urserunt, sicut apparet ex *Durand. 2. sentent. dist. 12. Secundum omnes Doctores peccator carens gratia pœnitendo DE CONGRUO MERETUR gratiam justificantem.* CONGRUUM enim est, ut bene utentibus donis *Naturæ* propter Deum, det Deus bona gratiæ. Cum verò moderni *Papistæ* plerumq; de hoc errore protestentur, & de injuria sibi facta conquerantur, ideo nolumus etiam indiscrete simpliciter hunc errorem iis imputare. Sic enim ipse *Bellarmin.* scribit l. 5. de *Justif. cap. 21. §.* Jam verò: *Gratiæ justificationis posse obtineri neq; ex condigno, neq; ex congruo, meritis operum solis viribus liberi arbitrii effectorum, docuimus adversus Pelagianos l. 5. de Grat. & Lib. arbit.* Sic etiam *Gregor. de Valent. tract. de grat. divin. part. 4. cap. ult. in fine* dicit: *Cum tantum gratia tunc detur, cum semel ea actiones, quibus ultimò ad gratiam disponimur, ex ipsa gratia & libero arbitrio fluunt, sequitur, hominem neq; ex justitia, neq; ex congruitate, gratiam proprie per illas promereri.* (3) Non quæritur de quibusvis operibus, generaliter ita spectatis, citra respectum vel bonitatis, vel prævinitatis, multo minus de malis operibus, sed de bonis operibus, iisq; non tam *naturæ*, quam *gratiæ* respectu, cum gratiam moderni *Papistæ* requirant. (4) nec agitur de *specialibus* quibusdam præ-

miis

meritis aeterna, vel etiam praesentis vitae. Nam ipse *Bellarminus* fatetur
l. 5. de justific. c. 1. quod ex nostra sententia tale quid concedatur:
Confessio August. scribit, & *Apologia art. XX.* dicunt, *Bona opera ju-*
storum placere Deo, & esse MERITORIA PRÆMIORUM, sed ne vi-
 deantur omninò consentire *Papistis,* addunt duo temperamenta, quo-
 rum unum est, opera bona esse meritoria praemiorum temporalium &
 spiritualium in hac vita & in futura, sed non ipsius vitae & salutis a-
 eternae. Alterum temperamentum est, opera justorum non esse meri-
 toria ex propria dignitate, quasi revera sint justa, & legi satisfaciant,
 sed ex fide & indulgentia Dei, quia videl. Deus iis, qui credunt, sibi
 remissa esse peccata, indulgentia sua tegit operum feditatem, & sic acci-
 pit, quasi justa essent. (5) Non agitur de qualicunq; Meriti significa-
 tione, cum certum sit, quod generaliter quamvis consecutionem no-
 tet, vel passivā aliquam retributionem inferat, sed de propria, causali,
 vel activa acceptione, cum aliquid ex obligatione quadam activè
 meremur, & causaliter obtinemus, ut illud propriè mereamur. Ex
 his facile patet, quod inter nos & *Papistas* hodie controversia sit,
 num *Bona reatorum opera* proprie & vere sint merita, vel meritoria
 justificationis & vitae aeternae? *Papista* tenent affirmativam, nos *Ne-*
gativam.

3. *Thomas Henrici* d. l. facū rudioribus facere conatur distinctione
 honorū operū, quia distinguit inter bona opera naturae & gratiae.
 De prioribus hæc affert: von den guten Wercken bekennen wir ein-
 hellig/ das keine aus der Natur allein herrührende Werck/ sie sein so
 scheinbar/ und sonst beschaffen/ wie sie immer wollen/ etwas bey
 Gott zur Seligkeit erspriesliches verdienen können: denn weil nie-
 mand vermag etwas zum ewigen Leben dienliches für sich selbst ohne
 sonderbare Gnade Gottes zugehendcken/ wie viel weniger wird er ver-
 mögen etwas deraichen ins werck zu richten.

4. Resp. (1) Quid docuerint *Papista* de merito bonorum o-
 perum, patet ex ipsa *Confessione August.* & quidem partim ex anti-
 thesi art. II. ubi accusantur *Scholastici,* quod extenuent gloriam me-
 riti & beneficiorum Christi, & disputent, hominem propriis viribus
 rationis coram Deo justificari posse: partim ex antithesi art. XII.
 ubi damnantur *Scholastici* docentes, quod homines SINE SPIRI-
 TU S. solis naturae viribus possint Deum super omnia diligere. Item

D

prae-

praecepta Dei facere, quoad substantiam actuum, &c. Hæc certe sicco pede *Confutatores* transierunt, ut ex ipsorum responso liquet, adeoque *Scholasticos* ab hoc errore liberare non potuerunt, neque voluerunt, cum ipsimet ab hac *Scholasticorum* sententia discordes non essent, sicut *preced. quæst.* ex multis ipsorum assertis *art. IV. V. VI.* notavimus. Nullus igitur hic est consensus *Papistarum*, de quo tantopere *Thomas Henrici* gloriatur, quod unanimiter *Papista meritum operibus naturæ* derogent. (2) *Communis Papistarum* consensus juxta sententiam *Concil. Trident.* *meritum de congruo* defendit, quod ex ipsorum doctrina solis operibus naturæ competit. (3) merus hic verborum *fucus syncretisticus* invenitur, quia *Thomas Henrici* prolixè defendit in *Anatom. Aug. Conf. artic. 6. quæst. 3.* quod homo in prima sui justificatione se non habeat merè passivè, sed Deo etiam justificanti cooperetur, & hic etiam non omne meritum negat, sed tantū illud, das er etwas bey Gott zur Seligkeit erspriessliches verdienen könne / unde latet angvis in herba, & *Syncretismum papisticum* sapiunt verba, das keine aus der Natur allein herührende Werck etwas verdienen können / quod tamen una cum gratia mereri possint, illud non inficiatur. Item das sie nicht etwas bey Gott zur Seligkeit erspriessliches verdienen können: Item das niemand vermag etwas zum ewigen Leben dienliches (a) für sich selbst (b) ohn sonderbahre Gnade Gottes zgedencken &c.

5. De operibus vero gratie scribit: Aber wann der gläubige Mensch aus Gnaden Gottes und Verdiensten Christi / ohn eigne Verdienst zur Gerechtigkeit kommen ist / kan er/und soll auch rechte gute Werck / aus allen sein Kräfte/und Gott zu Ehren thun/durch welche er Vermehrung der Gerechtigkeit/und andere Gaben in diesen Leben/wie denn auch grössere Kron im Himmel verdienet. Resp. Hac etiam in *thesi* nihil, nisi *Papisticum & heterodoxum*, reperitur (1) *quia fides* hic non *fiduciam*, Christi meritum & Dei gratiam apprehendentem, sed *nostram virtutem*, cum *spe & charitate* conjunctam *sensu Papistico* significat (2) *quia gratia* Dei non *gratuitum & benevolum Dei favorem*, in merito Christi fundatum, & ad salutem nostram oblatum, sed tantum *infusum aliquod donum*, vel *infusum charitatis habitum* designat. (3) *quia* justificationis fructus cum *causis* confundit, & operibus, si non *primæ*, tamen *secundæ*, quam

quam *Papista* fingunt, *justificationis* meritum attribuit. (4) *quia* ex gratuito dono meritum, vel ex merito latisimè & impropriè sumto, meritum propriissimè dictum colligit, & tale nostris operibus adscribit. Tale verò meritum æternæ vitæ, vel *justificationis*, nos non tantum operibus *natura*, sed etiam *gratia*, videl. ex parte nostri, derogamus. (5) *quia justitia*, vel *justificationis*, augmentum cum donis accidentalibus itidem confundit, sive *gratia*, sive *gloria*, sive in hoc, sive in altero seculo dona intelligantur.

6. His suppositis, sed more *Henriciano*, vel *sophistico*, vel *syncretistico*, prout demonstratum, nunc meritum operum stabilire conatur (1) ex *Apolog. August. Confess. p. 96. Hic addimus etiam de præmiis & de merito. Docemus operibus fidelium proposita & promissa esse præmia. Docemus Bona opera meritoria esse non remissionis peccatorum gratia, aut justificationis (hac enim tantum fide consequimur) sed aliorum præmiorum corporalium & spiritualium in hac vita, & post hanc vitam, quia Paulus inquit 1. Corinth. III. 8. Unusquisq; recipiet mercedem juxta suum laborem. Resp. in his certe verbis nihil de justitia, vel justificationis augmento, per opera bona meritorie acquirendo, nihil de merito ipso reperitur. Deinde dicuntur opera meritoria non in sensu causali, quasi per opera bona præmia illa mereamur, quod *Papista* fingunt, sed in sensu accidentali, vel eventuali, quod bonorum operum studium talia præmia, juxta Dei promissionem, sequantur. Deniq; disting. inter præmium promissionis, & meritum operationis: hoc *Papistis* est proprium, sed illius aliquod indicium *Apologia Confessionis* facere voluit; verum à præmio neququam ad meritum argumentari licet.*

7. (II) *Quia doctrina Papistica, de merito Bonorum operum, merito Christi non derogat, sed lucem conciliat. Nam sicut Dei Majestas in eo manifestatur, quod ceu solem, Lunam & alia sidera creavit, & potestatem operandi mira communicavit, quæ sine mediis illis immediate Deus operari potuisset: ita maxime meriti Christi gloriam auget, quando tanta tribuitur ipsi virtus, ut etiam fidelium opera, in se vilissima, meritoria efficiat. Resp. Similia non probant, sed illustrant saltem, adeoque suam causam adversarius firmioribus argumentis probare debuisset: neque licet ab his naturalibus ad supernaturalia ratiocinari. Deinde opera fidelium non subordinan-*

etur merito Christi, sicut caelestia corpora, ceu causæ secundæ, DEO subordinantur: quia Deus per illa operatur, Christus autem per opera nostra minime, sed tantum per verbum & Sacramenta spiritualiter in nobis operatur. Denique finguntur ista, & nostris operibus affinguntur, nusquam autem in sacris literis leguntur. Extra scripturas autem sapere, non est Christianorum, nec Theologorum. Hinc ipse Thomas Henrici fateri cogitur, Luc. XVII. 10. contrarium dici, quod omnia nostra opera sint inutilia, & antea debita, quomodo igitur possunt esse meritoria. Certe nec debitum est meritum, nec vanum & inutile pro meritorio venditari potest.

8. (III) Quia juxta Papistas opera bona non obligant Deum ad retributionem, cum juxta Luc. XVII. 10. omnia si fecerimus, dicendum nobis sit, inutiles servi sumus, sed tantum ad commendationem, & approbationem eorum, quæ recte facta fuerunt, juxta Matt. XXV. 21. 23. ita ut nos inutiles servos dicamus, & omnia, quæ bene facta sunt à nobis, gratiæ Dei tribuamus 1. Cor. IV. 7. Resp. Mysterium iniquitatis circa locum Luc. XVII. 10. prodit ipse Bellarm. l. 5. de justif. c. 5. §. Primum jubet Dominus: Ex nobis prorsus inutiles sumus, inepti prorsus ad ea implenda, quæ Dominus præcipit, tamen per ejus GRATIAM utiles efficimur. Item §. secundo ut exponit Beda: non sibi, sed Deo tantum inutiles dici: Exponit Beda scribit, juberi nos agnoscere, nihil nos Deo utilitatis afferre, sed quicquid boni faciamus, id nobis utile esse, non Deo, qui bonorum nostrorum non eget. Aliam hujus loci glossam l. 2. de Indulgent. c. 10. §. Nec tamen: affert inquam: Non dicit Dominus Luc. 17. cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Itaque illi dicuntur inutiles, qui nihil faciunt, nisi quod eis præceptum est, & quod facere debent; ex quo sequitur, ut qui faciunt aliquid amplius, quam teneantur, ut qui se castrant propter regnum caelorum, & qui dant omnia pauperibus, vel alia id genus, non imperata, faciunt, servi utiles dici debeant. Plures alias expositiones Papisticas hic producere nolumus, adeoque fucum saltem faciunt, quotquot pro se locum hunc urgere suscipiunt. (2) Opera nostra bona Deum nullo modo dicuntur obligare, nec ad retributionem, quod debitoris est, nec ad commendationem, quod encomiastæ dicitur: quod verò concernit approbationem, in tantum opera bona Deus approbat

probat & commendat, in quantum legi divinae conformia sunt, sed quatenus ex imbecillitate nostrae carnis ejus voluntati consentanea non sunt, eatenus nec approbari, nec commendari possunt (3) Hinc dist. inter commendationem in tantum, & in totum, aliqualem & totalem: Deus etiam in gentilibus commendat ea, quae bona sunt, propterea tamen nec opus omne, nec vitam totam gentilium approbat atque commendat. (4) Notum est etiam, quid Papista coram Deo soleant urgere cum illo Monacho: *Domine, da mihi, quod debes, quia feci, quod jussisti.* (5) *Gratia Dei papistico*, non *Lutherano*, vel *Christiano* sensu hic sumitur, prout superius probatum.

9. (IV) *Quia omnia justorum operum merita coram Deo fundata sunt*, juxta Pontificios, in gratia Dei & meritis Christi, secundum August. epist. 105. ad Sixt. Presbyt. Resp. (1) Operum merita vel dicuntur sensu patristico, seu orthodoxo, pro gratuitis premiis ita, ut mereri nihil aliud sit, quam consequi, vel in sensu Papistico & Heterodoxo, pro meritis proprie sic dictis: illa, non haec in gratia Dei, vel merito Christi fundantur, sicut B. Meisn. p. 2. Sobr. Phil. Sect. 1. c. 4. q. 3. scribit: *Nos dicimus, merendi vocabulum esse ambiguum. sumitur enim (1) proprie, prout respicit mercedem, laboribus debitam, & jure acquisitam. (2) figurate, prout simplicem consecutionem, vel adeptionem denotat.* Et B. Gerb. in Confess. Cathol. l. 3. part. 3. art. 23. c. 8. p. 823. *Nomen meriti quandoque generaliter ac laxè usurpatur, ut sit idem, quod prestare opera Deo grata, idque ex ipsius gratia, & gratuitam eorum remunerationem accipere, quo sensu eadem voce utuntur August. Confessio, Apologia Confess. & Confessio Wurttembergica. In hac generali significatione merendi verbo Plinius utitur l. 1. Epist. 8. Nec idcirco, quod gloriam non meruit, minus pulchrum est: ad quem locum Casaubonus sic annotavit: Meruit ἐτυχε. Verbum mereri saepe τυχεῖν significare, & factum notare, non jus, notius est, quam ut probatione egeat. (2) Dist. inter operum meritum coram hominibus, & coram Deo: licet coram hominibus detur operum meritum, tamen coram Deo nullum ejusmodi reperitur, quia omnis nostra justitia debita dicitur, imperfecta, maculata Luc. XVII: 10. Esa. LXIV, 6.*

10. (V) *Quia Paulus de semetipso testatur II. Timoth. IV. 7. 8. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt adventum eius.* Resp. (1) *Apostolus loquitur de justificatis, & in justificationis beneficio confirmatis, non autem de justificationis vel inchoanda, vel continuanda, aut augenda meritis, adeoque locus iste prorsus ἀπεσθδίουσας allegatur.* (2) *Apostolus disertis verbis agit de corona gloriae communi, non singulari, non Apostolorum, sed omnium Electorum, quae parata dicitur omnibus, qui diligunt adventum Domini: multò minus agit de corona meritoria, sed gratuita, quia jam dicitur reposita, corona justitiae, quae nobis miseris peccatoribus per se convenire nequit, cum primis si ad justum iudicem referatur.* (3) *cum fidei diserta mentio fiat, utiq; certamen fidei, cursus fidei, conservatio & victoria fidei, non operum hic intelligitur, adeoque sic etiam corona fidei non operum indicatur: quo respicit locus August. lib. de grat. & arbitr. c. 6.*

11. (VI) *Quia huc accedit promissio Dei, propter quam sibi magis, quam operibus nostris est obligatus, quia promisit se nullum opus bonum sine retributione dimissurum Matth. X. 42. II. Timoth. III. 13.* Resp. (1) *hinc potius invertitur meritum: nam si praemia distribuuntur ex promisso, non certe veniunt ex merito, cum promissum & meritum sibi mutuo contra distingvantur & opponantur.* (2) *Si nostris operibus non est obligatus Deus, neq; meritum ipsis tribuendum, cum in merito proprie dicto reperitur obligatio.* (3) *Si promissionibus praemia sunt adscribenda, firmissimum est, quod praemia bonorum operum sint gratuita, non autem meritoria. Quae denique de B. Bernhards & Imperatoris Carol. Quinti exemplis admiscet, omnino causam nostram confirmant, sicut saepius à nostris demonstratum. Quod autem in publicis Agendis & aliis scriptis nostra doctrina passim apud Papistas consensum inveniat, ex B. Gerhard. Confess. Catholica, l. c. liquet.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO QVARTA.

Num Lutherani Confessionis Articulo sexto contradicant in eo, quando docent, Opera Bona non esse necessaria ad salutem?

1. **Q**uid de hac *controversia* sentiendum sit, non semel à nobis expositum, nunc illud saltem attendimus, quod *Papista Lutheranos* vel *contradictionis*, vel *contrarietatis* acculent, sicut idem fecit *Thomas Henrici* in *Iren. Cathol part. 3. cap. 6. p. 322.* nimirum, quod *Lutherani* contradicant *Artic. VI. Confess. August.* quando negant, opera bona ad salutem esse necessaria.

2. Ne vero gratis id adduxisse videatur, probationes quasdam producit, quibus illud, rudioribus cum primis, persuadere possit (1) quia docetur in hoc articulo, quod fides illa debeat bonos fructus parere: Ergo necessaria sunt opera bona ad salutem Resp. (1) Nulla certe consequentia, ex fidei necessitate colligere velle bonorum operum necessitatem: nam licet ab effectis ad causam necessaria detur collectio, tamen non eadem ratione valet a causis ad effecta consecutio, cum *Materialiter* causæ sæpius existant, etiam si *formaliter* non influant. (2) Licet opera bona necessaria sint, ut testatur *August. Confessio*, tamen propterea non statim ad salutem necessaria sunt, sic fallacia committitur à dicto simpliciter ad secundum quid; quia confessio simpliciter necessitatem bonorum operum urget, non autem necessitatem eorum ad salutem docet. (3) Fides post respectum ad salutem opera bona parit, non autem in ipso respectu, vel statu ad salutem, quæ maximè sunt distincta.

3. (2). Quia Confessio statuit, quod oporteat opera bona facere: Ergo necessaria sunt ad salutem Resp. Et hic nulla consequentia reperitur: oportet opera bona facere. Ergo eadem oportet ad salutem facere, quia ab indeterminato ad determinatum argumentari non licet. (2) Committitur fallacia divisionis: dicitur enim, quod oporteat opera bona facere propter *DEI mandatum*, quia sunt à Deo mandata: propter *DEI voluntatē*, ut ejus voluntati religiosam obedientiam exhibeamus, nō a. dicitur, quod hæc opera bona nos oporteat ad salutem facere. (3) Confessio potius disertis verbis contrarium

rium asserit (a) quia non debemus confidere, nos per opera bona justificationem coram Deo mereri: si proinde nullum meritum hic locum habet vel justificationis, vel salutis, sequitur, quod ad salutem opera bona necessaria non sint, (b) quia remissio peccatorum, & justificatio sola fide apprehenditur. (c) quia juxta Christi testimonium Luc. XVII. 10. cum feceritis hæc omnia, dicite, servi inutiles sumus (d) quia Confessio idem probat ex veteribus scriptoribus Ecclesiasticis, cum primis ex *Ambrosio: Hoc constitutum est à Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.*

4. (3.) *Quia Christus ipse Matth. VII. 19. hæc exponit: Omnis arbor, quia non fert fructus bonos, excidetur, & in ignem projicietur: Ergo bonorum operum fructus ad salutem necessarii sunt.* Resp. (1) Christus ibi loquitur non de requisitis internis salutis, sed de requisitis externis *Pseudo-prophetarum*, ex quibus boni, maliq; Doctores discerni possint, sicut v. 16 & 20. adeoq; tum antecedentibus, tum consequentibus indicat: *Ex fructibus ipsorum cognoscetis eos:* hæc autem minime simpliciter requisita salutis dici possunt. (2) *Nulla consequentia, à malis operibus ad opera bona, collectionem instituere:* quia mala opera nostra sunt, perfecte mala sunt, & merita dānationis ipsis adsunt, quod de bonis operibus respectu salutis affirmari nequit, cum nec illa simpliciter nostra sint, nec etiam perfecte bona sint, nec merita salutis vocari possint, quod ipse *Thomas Henrici* fatetur, quando concludit: *Welches wir aber nicht also verstehen/das wir durch unsere Werk Vergebung der Sünden und die gnade Gottes verdienen müssen und können / wie im Artikel von der Rechtfertigung gnugsam erkläret.* (3) *Necessitatem testificationis, qualis in fructibus respectu arboris à posteriori datur, nos ipsi concedimus, inde tamen non licet necessitatem vel operationis, vel dispositionis, vel precedanea suppositionis, vel absolute positionis inferre.*



Lux fidei per opus splendorem mittit ad extra,
Et vite tradit symbola clara piæ.

Non meritum fidei, nec vere causa salutis
Est opus hoc: praxis sed pietatis erit.

Nostra tamen pietas defectibus obvia multis,
Iustitiamq; DEi sordida ferre nequit.

Hinc merito Christi, suscepto corde fideli,
Nobis hic opus est ante opus omne bonum.

Per Christi meritum gratis opus omne valebit.

Absq; DEi merito nil opus omne valet.

Dogmata Lutheri hæc repetit WEINHOLTZIUS ausu
Felici, dotes quo pietatis amat.

Perge Bonorum Operum sanctè scrutarier artem,
Patria gaudebit, munera sancta colens.

*Hac Per Eximio Domino Respond. Commensali
suo honorando scrib.*

Johannes Deutschmann/D.

An den Herrn RESPONDENTEN seinen
werthen Freund

An man auch Traubē wohl von denē Disteln lesene
Gibt nicht der Weinstock nur den süßen Neben-
Safft?

Mit diesem stellet dar deß Menschen-Gottes Wesen
Der guten Wercken Stamm: Herr Weinholz deis
ne Krafft

Steigt embfig über sich / die Augen sind gewonnen/
Die Blüte kömmt herfür und breit sich lieblich auß:
So

So haben deine Werck bereit hie zugenommen.
Daß du die Früchte kanst darstellen deinem Hauß.

hab dieses in geflügelter Eyl / mit wünschung
einer glückseligen Heimreise / und
unverrücktem Wohlergehens /

M. Simon Friederich Frenzeln / der
Philosoph. *Facult. Adj.*
und *Decanus.*

Rurfus conscendis Cathedram, *doctissime Weinholz,*
Facturus rostro publica verba sacro.
Gratulor ex animo rursum conatibus istis ;
Sic labor hic felix , sit Tibi Jova bonus !
Ipse Tibi tandem concedat digna laborum
Præmia, det clemens munia sancta Tibi !

Convictori atq; Amico meo intimiori
hec l. mę scribeb.

M. Georgius VVagnerus
Colleg. Phil. Adj.

Dum repetis Claram WEINHOLZI doctę, cathedram,
Collectasq; probas sedulitatis opes :
Gratulor , atq; Tuis successus apprecor ausis ,
Quis constat studiis fama, decusq; Tuis.

Eruditissimo DN. RESPONDENTI Amico
planè singulari f.

M. Christianus Köhrenssee.

QVando operum profers Weinholzi signa bonorum
Ecce! bonum profers mentis & artis opus.
Proderit istud opus, solers ubi pergis, & olim,
Quod testor, Patriæ commoda multa feret.
Prosperet istud opus Deus & quæ cætera tentas,
Sic Tibi, Sic Patriæ prospera cuncta cadent

Ita

ταξιως

*Præstantissimo juxtim ac Politissimo Domi-
no Respondenti applaudebat
ejus convictor*

M. Johannes Schvvarzius,
Witteb.S.SS. Theol. Stud.

Fervet opus! bis non longo sacra pulpita scandis
(Encomio dignum) Tempore: fervet opus.
Ferveat, ut nunc fervet, opus; sic, crede parabit,
Mox Tibi mox Patria digna brabea solum?

*Ita gratulatur Amico & Consa-
lino suo per dilecto,*

**M. Petrus Stanim/
Halberstadensis.**

DVm bona, quæ bona sunt, opera enucleare paratus
Ascendis Cathedram, nonne opus hocce bonum?
Illa per hoc scrutaris, ut ex utroque reportes
Commoda, quæ prostant plurima, Amice præcor

SEt da die Trauben an dem Weinstock recht beginnen
Zu reiffen / und den Saft am süßesten gewinnen /
Da kommen auch herfür die Früchte deiner Reben
Zerr Weinholz / fester Freund / in dem sie wollen geben
Der guten Wercke Saft / den du gedencst zu Pressen /
Wen du des hohen Stuls dich füglich darffst ermessen.

Ich

Ich wünsche Glück dazu ; es mög von Tag zu Tagen/
Der Wein an deinem Holz so reichlich Früchte tragen/
Das er im Weinberg auch der Kirchen seinen frommen
Zus künfftig spüren laß / wie er an sich genommen
Der Musen edlen Safft. Laß unterdeß genießen
Die Deinen / deines Weins / laß ihnen auch zu stessen /
Deiner Reben süßen Safft / gieb ihnen ist zur Kost
Wen du zu Hauße komst / deiner Früchte reiffen Most.

Dieses wenig schrieb nach anleitung des Nahmens
seines vielgeehrten sowol Herrn Landsmans als
brüderlichen Freundes Herrn Samuel
Weinholzen glückwünschend/

Paulus Müller / von Golberg aus
Pommern der H. Schrift befl.

Ich sollte zwar außs neu dich werther Freund beehrē
Mit einem Lobgedicht / das da möcht ewig wehren/
Und deine grosse Müh und nimmer sattten Fleiß
Hochrühmen / aber ach ! Ich weiß woll woz ich weiß.
Es fehlet mir an dem was da Poeten machet/
Ein Himmels-voller Geist / wem der fehlt wird verla-
chet :

Zedoch ob dem also / so preiß ich deinen Ruhm
Den du erworben hast zu deinem Eigenthum.
Ich wünsche schließlich dir Glück / Heyl / zu dem be-
ginnen /

Mein werther Musen Sohn / so du durch scharffes
sinnen /

Dich hast gesetzt für ; Ich rühme deinen Fleiß/
Der dich bekronen wird mit Ehr / mit Ruhm und
Preiß.

Mit diesem wenigen hat sein andern Ich
schuldigt aufwarten wollen/

Samuel Lindemann / von
Starg. aus Pommern.

Qvo

Quo Quo Togati, Quo Duce, Praesules,
Qui jura nummis, & sacra venditis,
Caeli docetis sancta summi
Gaudia pro meritis reponi?
Sacerne Vobis Spiritus adfuit?
Haec lecta sanctis Dogmata Bibliis?
Quae Veritatem comprobamus,
Ceu Lapide Aurifaber metallum,
Imò cuculli Lerna levisimi,
Ipso Tiarâ celsior Infula,
Quam mentis expers Gens adorat,
Hac vomuit, voluitque credi.
Heu Turpe factu! Sic Sapientiam
Ridere summi num deceat Dei?
Tam grande Crimen vindicabit,
Corporis ac animæ periculo.
Bellè! V Vinholzi, Delitium & Decus
Doctæ Cohortis: Nobilis Optimâ
Virtute, quâ multis mihi que
Es per Amicitiam jugatus:
Ut Sole pronò pampineâ gravis
Autumnus umbrâ fluminibus Patris
Lyci largius redundat,
Vina satis generosa fundens:
Sic Enthei Vis Ingenii Pia,
Quicquid probatâ mente recondidit,
Expromit, almâ in dum Coronâ
Fervidiore Animo Triumphat.
Et non inultos Ausonium Deum
Nec Lojolitas lingue! Calumnias
Depraliare, fortiori
Praeside Magnanimoque fretus.

Feret

*Feret Brabeum Castalidum Chorus,
Applaudet alto prospiciens Deus,
Perennes Teque sic manebunt
Leucoreæ Patriaque Laudes.*

Virtuti ac politiori Doctrinæ Deditissimo Dn.
Resp. Amico non Ultimo Benevolen-
lentiam suam testaturus appo-
nebat,

CONSTANTINUS Schütz/ Geda-
nensis.



*Perleucid. 1. April
1695.*

da-

DS A 606

ULB Halle 3
003 761 86X


ML






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



OGICA

45^o

RIBUS

LILIANTE,

ssimo atq₃

tschmann/

P. P. Longe ce-

Ephoro gravissi-

atq; Hospite

do,

olk /

ridian.

CHAEEL METER,

